

426 OBSERVAT. IN VITAM
dolfus Abbas Corbeienfis per manum Advocati fui
Lindolfi, duas marcas *Meginrichesdorf*, & *Mimilev*
dictas, in pago *Hassegorve*, & in comitatu *Sigi-*
fridi Comitis fitas, cum omnibus rebus illuc rite perti-
nentibus in mancipijs utriusque sexus, edificijs, arvis,
agris, pratis, silvis &c. *Otoni Imperatori* in propri-
um concedit; ac vicissim à *Cæsare* accipit in jus Ec-
clesiæ *Corbeienfis*, quicquid Imperator habuit in
villis Budineveldun, Brungeringhuson, Lellibecki, Re-
hon, Corbechi, & in Halegehuson dictis, in pago *Niht-*
berse, & in Comitatu *Asichonis Comitis fitis*; per ma-
num *Liugeri Advocati Otonis Imp. Ditmar*, lib. 7.
iterum de hoc loco : Notandum quoque, & non
absque singultu proferendum, quod *Monasterium* in
Mimmileve constitutum à libertate diu corroboratâ
in servitutem redactum est. Deposito namque ejusdem
Cœnobij Abbate Reinoldo, dispersisque late confratri-
bus his, *Heresfeldensi Ecclesia*, ejusque tunc *Provisor* à
Arnoldo illud subditum est, anno *MXVI*, ad quem
hæc etiam refert *Chron. MS. Saxonia*. Eâ igitur oc-
casione *Arnoldus Abbas B. Heimeradum* inventum
in *Mimilebo* transmisit *Hersfeldiam*, unde tamen
post brevem moram malè multatus discessit. Situm
fuit *Mimileba* Cœnobium in *Thuringia* ad *Unstru-*
tum fluvium, *Ursbergensi Instruot*; *Gobelino* at. 5. c. 11,
& et. 6. c. 55, *Unstroth* dictum. Agit de Cœnobio
Memmileben *Bucelinus* noster *Germ. sacra parte*
2. pag. 60. Verùm per incogitantiam istic tribuit *O-*
toni II Imp. quæ *Ditmarus* scripsit de *Otone I*. Et in
parte altera *Monasteriologie* pag. 235 *Mimile-*
benfens